



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XXX. Quomodo causa prima applicet secundas ad agendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIO XXX.

Quomodo Causa prima applicet secundas ad agendum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Causa prima physice prædeterminet secundas ad operandum.

I. **N**on inquirimus in præsentia utrum physica prædeterminatio vim inferat voluntati, collatque libertatem ad actum contrarium; hæc enim controversia Theologorum propria est, quam fusè & eruditè tractant Molina in Concord. q. 14. a. 13. d. 37. & 38. q. 23. a. 4. & 5. Bellarm. l. 1. de. de gra. c. 12. & l. 4. c. 14. & l. 6. c. 15. Valent. l. 2. q. 3. p. 4. §. 2. Valq. l. p. d. 88. c. 6. & d. 98. c. 5. Fonseca l. 6. Met. c. 2. q. 5. l. 10. L. de gra. efficaci c. 1. Tanner. l. 2. d. 6. q. 2. dub. 3. Salas l. 2. t. 5. d. 3. l. 2. & alij.

II. Quod ergo modo disputatur, est utrum causa secunda speciali egeat Dei applicatione per aliquid ei superadditum, per quod ad operandum determinetur.

III. Triplex hac in re est sententia. Prima est Thomistarum, saltem recentiorum, quæ asserit, à Deo causis omnibus qualitatem quandam antecederet infundi, tanquam complementum virtutis earum activæ, quam præmotionem, vel prædeterminationem physicam appellant, eamque talis natura statuunt, ut nec sine illâ causa secunda, sive libera, sive necessaria, operari quidquam possit, nec eâ possit, ab operatione desistere. Dixi hanc opinionem esse Thomistarum, saltem recentiorum, nam P. Oviedo cont. 10. Phy. p. 3. n. 3. ait ex illiusrissimâ Prædicato- rum Familia nullum ante Bannez hujusmodi prædeterminantem qualitatem agnovisse, & modò plures ex eodem ordine eam ut inutilem rejicere.

IV. Secunda sententia est Scotistarum, qui nihil hujusmodi physicum & intrinsecum creaturæ inditum esse volunt, sed eam dicunt per decretum Dei extrinsecum abfolutum, & efficax ad agendum applicari, ac determinari. Qui proinde à priori sententiâ in eo solum differre videntur, quod illa hanc creaturæ applicationem ad opus per aliquid intrinsecum fieri dicat, hi per aliquid extrinsecum.

V. Tertia demum & vera sententia affirmat, nihil hujusmodi, vel intrinsecum, vel extrinsecum requiri, ut causa ulla secunda vel necessaria vel libera operetur, nec aliam applicationem hac in parte requiratur, quam ut Deus (à quo res omnes, ut in esse, ita & in operari essentialiter dependent, ut supra ostendimus) in actu primo paratus sit (cum ijs concursum præstare, sicque nullo alio superaddito, res omnes creatæ conformiter quæque naturæ suæ in opus prodire possunt, sive necessariò, sive liberè).

VI. Et sane in agentibus necessarijs, quoad effectus naturales nulla videtur requiri determinatio, cum ex naturâ suâ sint ad certos effectus determinata, & quodam naturæ pondere necessitata. Quid enim opus aliâ qualitate præter gravitatem, ut lapis sursum prociectus denuo cadat, ut ignis stuppæ applicatus, aut sulphureo pulveri ea incendat, ut equos famelicus in prato aliquo herbido ad comedendum seappiet, & similia: agrè sanè inveniuntur qualitas efficacior fame, quæ pecora ac pabulum instiget. Gratis ergo aliud sive intrinsecum sive extrinsecum

istiusmodi requiri videtur, ut agentia necessaria ad operandum determinentur.

Dixi quod effectus naturales, quoad supernaturales enim, ut scilicet ignis materiam applicatam non comburat, ut lapis sine obstaculo penilis hæreat in aëre, & similia, requiritur specialis aliqua voluntas, & decretum Dei, quo velit agentia naturalia ad illa, quæ vel suprà, vel contra eorum naturam sunt, applicari. Hoc sensu, res, etiam inanimatæ, audire dicuntur vocem creatoris, ejusque imperio obedire. Sic Matth. 8. v. 26. de Christo dicitur tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna: & mox subditur, quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

Idem etiam probatur de agentibus liberis: licet enim non eâ necessitate, & naturæ impetu ad operationes suas ferantur, vim tamen in se sufficientem habent, ut, posito concursu Dei in actu primo indifferente, suo se arbitrato ad agendum applicent, & pro voluntate operentur vel non operentur, in quo differunt à necessarijs, quæ posito concursu, ita operantur, ut non possint non operari. Cum ergo agentia libera se ad agendum applicare possint, quidquid ad ea determinanda superadditum, est superfluum. Quæ etiam eodem modo probant non requiri ad hoc, decretum Dei, aut aliud determinativum extrinsecum.

SECTIO II.

Argumenta contententia requiri physicam prædeterminationem ut res applicetur ad agendum.

Objicitur primò S. Thomas qui hanc doctrinam de prædeterminatione sapè tradere videtur, l. chim. 3. cont. Gent. c. 70. & l. p. q. 105. a. 5. & alibi sapè, ait causas secundas moveri, & applicari ad agendum à Deo, sicut securis ab artifice, ergo per virtutem aliquam ijs impressam. Clarius q. 3. de Potent. a. 7. corp. & ad 7. ubi ait quatuor modis Deum operari cum creaturis: primò, dando eis esse, & virtutem operativam: secundo, eas & virtutem earum activam conservando: tertio, applicando eas ad agendum sicut artifex applicat instrumenta artis: quarto demum, in quantum omnis causa secunda operatur ut instrumentum primæ, & quadam subordinatione ad illam.

Hæc sunt præcepta, quæ ex S. Thoma proferuntur, quæ licet omnia concederemus, nec multum pro contrariâ sententiâ, nec contra nos quidquam facerent. Nihilominus S. Thomas varijs locis ut 3. cont. Gent. c. 66 & l. 2. q. 9. a. 6. ad 3. docet concursum Dei cum causis secundis esse indifferentem, has verò esse particularizantes & determinantes: item voluntatem solum moveri à Deo, hominem verò seipsum ad hoc vel illud determinare, & non obstante motione Dei, esse in potestate voluntatis seipsam determinare in hanc vel illam partem.

Ad illa quæ suprà ex S. Thomâ allata sunt, Resp. loqui illum de concursu tantum generali, per quem movet & applicat causas secundas ad operandum: S. Thomâ hoc enim concursu optimè intelligitur quod affirmat

VII.

Requiruntur aliquid in supernaturalibus.

Res inanimatae audiunt vocem creatoris.

VIII.

Nihil etiam ad determinationem requiritur in causis liberis.

I.

Deus quatuor modis operatur cum creaturis.

II.

Mens S. Thomæ determinatorem physicam.

III.

Resp. ad objecta ex hoc enim concursu optimè intelligitur quod affirmat

mat S. Doctor, causam scilicet secundam non agere nisi motam, & adjutam à Deo. Per hæc ergo non probatur, posse S. Thomam motionem aliquam præviā antecedenter ad operationem, sed ad summum motionem concomitantem, & cooperantem. Unde exemplum illud securis solum probat non magis posse hominem, aut aliam quamcunque creaturam, siue necessariam, siue liberam, agere sine concursu, & influxu Dei, quam malleum, aut aliud instrumentum artis sine influxu artificis. Licet in causis liberis Deus præviè etiam influat immitendo illuminationes & inspirationes, quibus ad bonum casu invitat.

IV.
Quomodo
ad agendum
applicentur
causæ libe-
re.

Quomodo
applicentur
necessariæ.

Objicitur secundò: causæ tam liberæ quam necessariæ applicantur ad agendum à Deo, ergo aliquid præviū ab illo recipiunt. Resp. liberæ applicari modo proximè dicto, etiam præviè, qui est modus proprius movendi, & applicandi creaturam rationalem; aliæ autem causæ dici etiam possunt applicari à Deo ad agendum, quatenus per suam providentiam ita res disponit & ordinat, ut agens applicetur passo, & tollantur impedimenta: quibus hoc modo dispositis, & concessio concursu simultaneo, dici possunt etiam hæc applicari à Deo ad agendum, certo enim consilio, & summâ sapientiâ de rebus creatis disponit, ut pluvia, serenitas, copia rerum omnium, sterilitas, & similia sequantur. Nec alia prædeterminatio in rebus irrationabilibus est necessaria, cum enim sint agentia naturalia, seu necessaria, ipso facto quod applicentur, agunt, & æquæ ex se sunt res istæ determinatæ ad agendum, ac prædeterminatio ipsa physica.

V.

Deus sex
modis di-
citur cau-
sæ primæ.

Prioritas
Logica.

Premotio
intentiona-
lis in cau-
sis liberis.

Et per hæc etiam patet ad id quod objici solet, Deum scilicet esse causam primam, ac proinde ab ipso debere incipere actionem, sicque debere aliquid in causam imprimere, quod operationem inferat. Ad hoc, inquam, Resp. Deum multis alijs modis verissimè censeri causam primam. Primò, dignitate. Secundò, subsistendi consequentiâ, quatenus nimirum concursus Dei ita est necessarius, ut sine ipso agere omnino non possit causa secunda, sic tamen è contrariâ quam rectè vocant aliqui prioritatem logicam, quia nimirum benè arguitur ab operatione causæ secundæ ad operationem causæ primæ, non tamen è contrario; sicut & ab inferiore ad superius, non è contrariâ: quia de causâ, universaliora dicuntur esse priora. Tertiò, quia dat esse causis secundis & virtutem agendi, sicque necessario semper incipit. Quartò, easdem conservat. Quintò, applicat ad agendum, efficiendo nimirum ut applicetur agens passo. Sextò, peculiariter in causis liberis in quibus producit aliquid præviū, inspirationem scilicet, & illuminationem, per quam intentionaliter applicantur præviè ad agendum, sicut agentia necessaria per motum localem.

VI.

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

XI.

XII.

Objicitur tertiò: hinc sequi, causam secundam determinare Deum ad operandum, quod tamen falsum est, Deus enim determinat se, imò & causas secundas. Resp. si sermo sit de Deo ut causa universalis, concursus ejus esse indifferentem, nec, prout antecedenter præcedit in actu primo à Deo, magis esse determinatum ad unam etiam speciem effectus, quam ad aliam, sed indifferentem eum præbet omnibus causis secundis, ut unaquæque illo utatur, prout occasiones & circumstantiæ tulerint. Unde hoc sensu causæ secundæ determinant primam, licet radicaliter determinantur ipsæ à causâ primâ, ut ostendi n. quarto. Causis tamen liberis præter concursum generalem immittit subinde illuminationes, ut proximè dictum est, quibus ipsas præviè incitat, & movet ad agendum.

Objicitur quartò: voluntas ex se est causa inde-

terminata, quod autem est indeterminatum in ratione agendi, eget aliquo determinativo, ergo aliquid aliud ei debet superaddi. Resp. illam solum causam indeterminatam indigere determinativo, quæ ex imperfectione est indeterminata, (ut contingit in bilance, quæ, ut determinetur magis in unam partem quam alteram, eget aliquo pondere iniectione) non illam, quæ indeterminata est ex perfectione, seu ex majori potestate, qualis est omnis libera; hæc enim eo ipso quod libera sit, potest se pro libito in hanc vel illam partem inflectere. Id ergo per quod causa se determinat in actu secundo ad operandum, est ipsa actio: in actu primo verò nihil est per quod præ antecedenter determinetur infallibiliter, seu necessario ad alteram partem contradictionis, sic enim non foret libera.

Nec aliud quam hoc vult S. Thomas 1. p. q. 19. a. 3. ad 5. dum ait causam indeterminatam indigere aliquo alio à quo determinetur, loquitur enim de causa indeterminatâ ex imperfectione: si verò aliquid, sicut facit, de voluntate etiam infinitæ egere aliquo inclinante prævio, hoc nihil aliud est quam actus intellectus proponens objectum bonum, sine quo actu nihil potest voluntas, sed se habet instar illius bilancis; at posita intellectione, potest se in unam vel alteram partem determinare pro libito, nisi bonum quod proponitur, sit ejusmodi, ut omnino rapiat voluntatem, ut contingit in Beatis.

Objicitur quintò: si voluntas maneat indifferens, ergo non est magis determinata ad amorem quam odium, ergo numquam operabitur. Resp. in actu primo, seu pro aliquo priori naturæ est indifferens, & in secundo tantum signo determinatur per ipsam actionem tanquam per causam formalem. In actu primo verò non requiritur aliud quam indifferentia naturalis potentia, & ut rationes sufficientes proponantur ab intellectu, ad hanc vel illam partem amplectendam.

Objicitur sextò: concursus, ut procedit à Deo, debet esse determinatus; si enim voluntas humana se determinaret, esset *primum liberum*. Ad hujus explanationem difficultatis, notandum, *Primum liberum*, esse illud, quod ita ad operationem liberam se determinat, ut exercitium liberum alienæ voluntatis non requirit, nostra autem voluntas non est hujusmodi, cum essentialiter supponat Deum prius voluntate indifferente concursum suum nobis exhibuisse. Unde solus Deus est *primum liberum*, utpote qui solus alienam voluntatem & concursum pro priori non requirit. Quo pacto autem causæ determinantur ad hunc numero effectum producendum, potius quam alium, dicitur disp. sequente.

Obj. septimò: causa secunda non agit nisi moveatur, imò & præmoveatur à Deo, qui ideo est primus motor, quia movet non motus. Conf. ex Aristot. 8. Phy. tex. e. 3. ubi ait *omne quod movetur, ab aliquo movetur*, ex quo principio probat dari primum aliquod movens, quod movet immotum. Resp. jam ostensum esse quomodo causa secunda moveatur semper à primâ, imò & quomodo voluntas aliquo modo præmoveatur, accipiendo scilicet cognitionem præviā, sine quâ operari penitus non potest. Non tamen hinc sequitur, causam secundam prædeterminari, quia voluntas, adhuc posita illâ præmotione per intellectum, manet sui juris, & potest vel agere, vel non agere.

Ad Confirmationem dico, Aristotelem eo loco solum affirmare omne quod movetur, ab aliquo moveri, nempe vel ab alio, vel à seipso, inchoans actionem, ergo potius hoc Aristotelis testimonium pro nostra sententia facit, quam pro contrariâ. Jam verò ostendimus quo modo Deus sit causa prima, & primum

Quia causa
indeterminata
egere determinativo
extrinseco.

Determinatio
in actu
secundo.

VIII.
Explicatur
S. Thomas
circa determinacionem
causæ indeterminatæ.

IX.
Quomodo
se determinet
voluntas.

X.
Quid sit
primum
liberum.
Deus solus
est primum
liberum.

XI.
Deus pri-
mus motor.
Movet non
motus.

XII.

Quid sit
causam se-
cundam
operari in
virtute
Prime.

primum movens, dando scilicet esse causis secundis, & eadem conservando, atque ad agendum applicando, & hoc sensu movet non motus. Quando etiam subinde dicitur causa secunda agere in virtute

primæ, & tanquam instrumentum illius, sensus solidum est, agere per virtutem acceptam à causâ primâ: quo sensu etiam vocatur instrumentum Dei, à quo scilicet habet, quidquid habet.

DISPUTATIO XXXI.

De determinatione ad individuationem.

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo causa prima determinet secundas ad individuationem effectus.

I.
Aperitur
status
questionis.

II.
Prima sen-
tentia dis-
res deter-
minari se-
ipia.

Explicatur
exemplo
partium
determinationis.

III.
Impugnatur
ex simili-
tudine
effectuum.

IV.
P. Vasq.
indiv.
respondit in
circumstan-
tias loci &
temporis.

V.
Rejicitur
hæc senten-
tia.

VI.
Quædam
se ad indi-
viduationem.

Questio est, dum in his determinatæ circumstantiis, loci, temporis, &c. ignis A applicatur tali passio, cur ex pluribus, imò infinitis individuis numero tantum distinctis, hic numero ignis prodeat potius quam alius. Hac in re Philosophi, more suo, in varias abiit sententias.

Nonnullis placet, inter effectus ipsos certum esse ordinem prioris & posterioris, ita ut unus effectus naturâ suâ petat antecire alterum, & ut nullus alius prodeat, donec hic fuerit productus. Unde, inquit, ignis A (idem est de alijs omnibus effectibus) produci naturaliter petit ante ignem B, B ante C, &c. sic in infinitum. Quare, sicut in partibus temporis est essentialis ordo prioris & posterioris, ita ut pars A essentialiter petat produci ante partem B, & sic deinceps, qui ordo nec divini inveni potest, ita, inquit, inter effectus omnes numero distinctos est ordo connaturalis, & series successus, sicut unius ad alium, quam Deus ut auctor naturæ mutare non potest, licet possit miraculose.

Sed contra, hoc enim videtur gratis dictum: cum enim effectus sint planè similes, perinde & ipsis & universo est quis primò producat, seu quis antecedit, quis sequatur. Hanc sententiam impugno latius: postea, maxime in tertia probatione secundæ conclusionis.

P. Vasq. To. 1. in 3. p. d. 74. c. 8. ait causam cur producat, hic potius numero effectus quam alius, retinendam esse in circumstantiis, in quibus hic & nunc producit, ita ut effectus dicat peculiaritatem quandam ordinem ad has circumstantias potius quam ad alias, nec sit indifferens ut in alijs producat.

P. Suar. d. 5. Met. 3. n. 34. & 6. n. 9. & deinceps, ait hanc sententiam multis viris doctis visam esse creditu difficilem: quis enim sibi persuadeat individuationem effectuum, seu causam cur hic potius numero homo quam alius, hic equus, hic ignis potius quam alius hic & nunc producat, reduci ad solam circumstantiam temporis aut loci, nec potuisse individuum, quod producit hoc instante, produci naturaliter in alio, & si causa tantillum loco moveatur, aut uno momento serius applicetur, debere necessariò producere diversum effectum?

Prima conclusio: causa aliqua possunt seipsas ad aliquorum effectuum individuationem determinare. Probatur, Angeli & animæ separatæ vident actus suos possibiles: unde ex pluribus actibus individuis numero tantum distinctis, tum intellectus tum voluntatis, possunt pro libitu hunc vel illum eligere. Sicut ex pluribus rosis omnino similibus, nos quam volumus, eligimus: & sic in alijs quibus-

cunque huiusmodi rebus.

Secunda conclusio: individuationis effectuum re-fundi debet in causam primam. Ita Suar. citatus, Tol. 3. de anima q. 18. Conimb. 1. 2. Phy. 7. q. 15. a. 2. & 2. de Gener. c. 11. Hur. d. 10. Phy. 4. Quidam. Phy. 2. n. 2. Fons. Met. c. 2. q. 9. 1. 10. Rub. tra. 4. q. 9. n. 3. & alij sequuntur Greg. in 1. d. 17. a. 2. & 7. & d. 25. q. 1. 2. 1.

Probatur primò, quæ enim ratio assignari potest cur non sint plures numero effectus possibiles ab hac causâ hic & nunc, in his circumstantiis loci, temporis &c. vel ex quo capite sufficienter probatur effectum aliquem, ignem ex. g. dicere tam peculiaritatem respectum ad tale tempus & locum, ut in proximo produci non potuisset, ita ut Christus Dominus non potuisset produci idem numero, si alio loco vel tempore, aut uno instante serius fuisset productus? Conf. nam alioquin si Deus uno instante serius mundum hunc produxisset, non potuisset hunc numero connaturaliter creare, sed alium, quod tamen valde videtur mirum.

Secundò probatur, nam saltem de Angelis dici hoc non potest, unde enim connexionem quomodocumque habent Angeli cum loco & tempore, ut non possint naturaliter creari nisi certo loco & tempore, & ut hi poterant produci tali tempore, hi alio? Conf. saltem de gratia & alijs effectibus supernaturalibus, loco & ut visione beatifica, actu charitatis, lumine gloriæ, & similibus, durum videtur hoc concedere.

Tertiò probatur, Angelus enim videat effectum aliquem possibilem ignem vig. lapidem, actum intellectus aut voluntatis, &c. videbit quo tempore & loco petunt produci, ita ut hi actus intellectus & voluntatis sint proprii Europæ, hi Asiæ &c. si transierant, quo tempore & loco fuerunt primò producti. Conf. hinc sequitur Petrum qui de facto producus est ante Paulum, petere ex naturâ suâ produci ante illum, Cam ante Abelem, Joseph ante Benjamin &c. imò homines esse naturâ suâ primogenitos & majores vel minores natu alijs, cum eo determinato tempore poterant produci, quo de facto sunt producti: sicque Christus ex naturâ suâ perire nasci post Simeonem senem aut Herodem, & post pastores qui ipsum noctu Nativitatis inviscabant, quod mirum dictum videtur. Deinde Angelus videns tres homines, qui tribus diversis instantibus sibi immediate succedentibus sunt nati, sciet quis sit natu maximus.

Quartò probatur conclusio contra eos qui recurrunt ad dispositiones pro individuatione effectuum, & dicunt rationem cur hic numero effectus producat potius quam alius, provenire ex eo quod hæ numero ponantur dispositiones non aliæ. Sed contra primò, esto enim hoc aliquid fortè verosimilicudinis habeat in formis substantialibus, ad quas certè requiruntur dispositiones, de quo postea, ipsæ saltem dispositiones unde habent quod hæ potius producantur, quam aliæ, certè vel procedunt in infinitum, vel dicendum ab aliquo alio quâ a dispositionibus fieri determinationem ad individuationem.

Contra

VII.
Deus ad
individ.
determinat.

VIII.
Ratio pri-
ma, quia
nulla alia
causa suffi-
cienter.

IX.
Angeh. &
res spirit-
uales non
pendent à
tempore.
Multo mi-
nus res su-
pernatu-
rales.

X.
Alij actus
sunt proprii
Europæ, hi
Asiæ, &c. si
essent pro-
prii Asiæ,
alijs Europæ,
alijs huius
amici, alijs
sequerentis.

XI.
Dispositio-
nes non de-
terminant
ad indivi-
duationem.